

cum ad Dei imperium Moyses populum numerasset, ex singulorum capitum censu magna vis pecuniæ collecta est, Exod. cap. 38, v. 25: *Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum à viginti annis et supra, de sexcentis tribus millibus, et quingentis quinquaginta armorum; fuerunt præterea centum talenta argenti.* Cum ergo jam constet de regis populique peccatis, redeamus ad textum.

VERS. 2. — PERAMBULA OMNES TRIBUS ISRAEL A DAN USQUE BERSABEE, ET NUMERA POPULUM, UT SCIAM NUMERUM EJUS. Lib. 1 Paralipomenon cap. 21, hoc præceptum esse dicitur à rege non solum Joab, sed aliis etiam principibus populi. Jussit autem ut nullum oppidum omitterent, cujus incolarum censum non referrent. Sed licet in hoc peccaverit David, quod, Deo non jubente, sed vanissimæ cujusdam curiositatis gratiâ numeraret populum, in eo tamen non erravit, quod infra vigesimum annum numerum iniri vetuit. Quod ex libro primo Paralipomenon capite 27, liquet v. 25: *Noluit autem David numerare eos à viginti annis inferius.* Quod verò nihil aliud spectarit David, quam nosse ut ipsi Israelis capita parerent, ipse dixit statim, *ut sciam numerum ejus.* Cum autem civitates duæ terram promissionis extremæ definiant, Dan ab aquilone, Bersabee à meridionali plagâ, fit ut proverbiali specie totum promissæ terræ spatium duarum civitatum nomine significetur. Quare sæpè occurrit in Scripturâ, à Dan usque ad Bersabee, lib. 1, c. 5, v. 20: *Et cognovit universus Israel à Dan usque ad Bersabee.*

VERS. 3. — DIXITQUE JOAB REGI: ADAUGEAT DOMINUS DEUS TUUS AD POPULUM TUUM (1). De-

(1) *Joab répondit au roi: Je prie le Seigneur votre Dieu de multiplier votre peuple au centuple de ce qu'il est.* Joab ajouta encore, comme il est marqué dans le livre des Paralipomènes: *Mon seigneur et mon roi, tous ne sont-ils pas vos serviteurs? Pourquoi désirez-vous une chose qui engagera Israël dans le péché? On ne peut pas parler plus clairement pour détourner d'une action qui effectivement déplaisait à Dieu. Et cependant David ne peut, ni par lui-même, ni par le secours des autres, découvrir le mal qu'il fait en cette rencontre, et qu'il ne se propose qu'en le revêtant d'une apparence de bien. Il s'opiniâtre à faire ce commandement, malgré la résistance de Joab. Comme il s'est une fois prévenu de sa pensée, sans la vouloir soumettre au jugement de personne, toute sa lumière le porta à favoriser l'inclination de son cœur, et ne lui sert plus qu'à le tromper. Après cela, qui sera assez hardi pour ne s'arrêter qu'à son propre sens, pour rendre sa fantaisie la règle de sa conduite, et pour ne consulter que soi-même dans toutes les actions*

terrere vult Joab regem ab hoc non solum non utili, sed etiam valdè pernicioso consilio; sed quia durum est, et suâ naturâ difficile, hominem et potentem et senem, qui non nisi gravatè aliorum admittit consilium, ab eâ, quam semel imbiberat, sententiâ depellere, benevolentiam captat, quod in ejusmodi causis necessarium est, dum optare se dicit majus populi in singulos dies incrementum. Deinde cur id regi nullâ ratione probari debeat, duobus argumentis ostendit. Alterum ab inutili, seu non necessario desumptum est, ut habemus libro primo Paralipomenon cap. 21, v. 3: *Nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt?* Quasi dicat: Si in Israele à Dan usque ad Bersabee confusus esset populus, cujus pars altera faveret, altera regis adversaretur, aut invideret commodis, probarem hoc consilium, quod amicum et subditum ab hoste atque ab alieno secernit. Atqui omnes, quotquot Israelitici solita complent spatia, tui sunt, tuo student honori, te cupiunt diu florentem et salvum. Quem igitur aut regi, aut regno afferet usum, hæc populi tam importuna numeratio?

Alterum sumitur ab honesto, dum ait, ut legimus libro 1 Paralipomenon: *Quare hoc querit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?* Ubi etiam apparet prudens Joab, acutumque judicium: non enim dicit peccatu-

importantes de sa vie? Sommes-nous plus éclairés que ne l'était un si grand saint? ou ceux qui peuvent nous donner conseil le sont-ils moins que n'était Joab, que l'Écriture nous représente, non seulement comme un homme du monde, mais comme un homme de sang, dont le cœur était certainement plein de passion et de ténèbres, et qui néanmoins en cette rencontre se trouve plus éclairé que David même? Si c'est la qualité de roi qui inspire à David cette fermeté dans un avis si peu raisonnable, et que Dieu a puni si sévèrement, il faut plaindre ceux qui sont nés souverains. Mais si nous voyons tous les jours que des particuliers agissent de la même sorte, qu'ils tachent au moins d'être assez heureux pour reconnaître, comme David, que cet entêtement dont ils s'étaient prévenus, et qui leur paraissait une sagesse, est en effet une grande folie, et qu'en ne croyant que leur propre sens, ils suivaient un guide qui les conduisait dans le précipice. C'est pourquoi saint Ambroise remarque avec grande raison que si David a été assez inconsidéré pendant quelque temps pour commettre cette faute, il a été assez humble ensuite pour la reconnaître. Mais nous, au contraire, ajoute ce saint, nous tombons souvent dans la même illusion, et nous ne nous en apercevons point. David a eu besoin de plus de dix mois pour revenir de cet entêtement, et le nôtre dure quelquefois toute notre vie. (Sacy.)

rum esse regem numerando populum, licet illud nosset, certè novisse non sit improbabile, ne regium animum offenderet, et quod à rege impetrare studebat, non assequeretur; sed dixit in peccatum reputandum Israeli, quia cum unusquisque eorum qui in censum illum essent relati, dimidium solum deberet impendere in religiosum usum tabernaculi, neque omnes aut vellent, aut possent, occasio illis offerebatur à rege, ut multi peccarent, sustinerentque plagam, quam Exod. cap. 50, Deus minabatur illis qui pretium illud redemptionis omitterent. Quod si nullum aliud à rege peccatum esset admissum, hoc certè dignum fuit, propter quod rex mulcetur durè, cum vanæ cujusdam curiositatis gratiâ in illud periculum tantam populi multitudinem trahe-

ret. VERS. 4. — OBTINUIT AUTEM SERMO REGIS VERBA JOAB, ET PRINCIPUM EXERCITUS. In libro Paralipomenon pro obtinuit, est prevaluit. Ex his verbis constat non unum Joab, sed alios etiam principes conatos fuisse regem ab eo abducere consilio numerandæ plebis. Sed jam rex obstinât animum in eam cogitationem, atque ideò inanis excidit illa Joab principumque contentio.

EGRESSUSQUE EST JOAB ET PRINCIPES MILITUM. Describitur populi lustratio, et principum in eo censu ac lustratione progressus. Neque in eo aliquid nobis observandum est, quod nosse magni referat. Illud non prætermittendum, transiisse principes illos enumeratores prope mœnia Tyri, quia ad Tyrum usque porrigebatur terra promissionis, et ad illum usque locum Davidis explicabatur potestas. Tyrus autem adhuc erat in alienâ potestate, quam ideò fortasse expugnare, atque in provinciam redigere noluit David, quia rex Tyri cum ipso fuerat sociali federe conjunctus, qui, ut constat ex cap. 5, v. 11, misit ad David nuntios, et ligna cedrina, artificesque tam lignorum, quam lapidum, qui domum regiam Davidi construxerunt; quam amicitiam fœdusque sociale cum Salomone filio conservavit, cui etiam ligna ministravit et lignorum artifices, lib. 5 Reg. cap. 5. Quod autem Tyrus ad terram promissionis pertineret, contribuereturque tribui Asser, videtur posse colligi ex illo Josue c. 19, v. 19, ubi funiculus Asser pervenire dicitur usque ad civitatem munitissimam Tyrum. An verò excludatur ab Asser sorte, vel in illam includatur, incertum est, cum modus ille loquendi ad utrumque pateat. Si tamen cre-

dendum est Abulensi in lib. 3 Reg. cap. 5, q. 2; Adrichomio, Serario in cap. 19 Josue, quæst. 8, ad tribum Asser urbs illa pertinuit, neque tamen illam Asseritæ subjungere poterunt. (1)

VERS. 8. — ET LUSTRATA UNIVERSA TERRA, AFFUERUNT POST NOVEM MENSES (2), etc. Hic occurrit

(1) V. 5. — VENERUNT IN AROER AD DEXTERAM URBIS QUÆ EST IN VALLE GAD. Reddi Hebræus potest: *Castra locaverunt in Aroer, ad dexteram hujus urbis, quæ est in medio vallis Gad.* Aroer sita est trans Jordanem, ad Arnon, in ditione Gad, et in valle secundum Arnon excurrente. Quare destinati ad censum habendum viri describere cœperunt à maximè orientalibus imperii trans Jordanem.

VERS. 6. — IN TERRAM INFERIOREM HODSI. Regio hujus nominis latet. Chaldæus: *Ad terram australem Hodsi.* Septuaginta: *In terram Thabason, quæ est Adasæ.* Alii vertunt Hebræum: *In terram recens additam imperio, vel, in terram novorum subditorum;* quod satis convenire videtur regioni Agareorum, Saulis ætate è sedibus suis pulsorum. Consule quæ leguntur in 1 Paralipom. 5, 1, quæque lucem textui huic affundere possunt: *Filii Ruben in diebus Saul præliati sunt contra Agareos, et interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plagâ, quæ respicit ad orientem Galaad.* Situs hujus regionis cum opinione hæc planè congruit.

VENERUNT IN DAN SILVESTRIA. In Dan sylvanum, in urbem Dan ad radices montis Libani, prope fontes Jordanis, cujus urbis nomen frequenter in Scripturâ recurrit, utpote quæ extremos limites septentrionales ditionis Hebræorum signat. Auctor Vulgatæ aliter legit Hebræum, ac nos modò in nostris codicibus. Ita enim nunc textus fert: *Venerunt in Dan Jahan.* Loci hujus Jahan nullibi mentio occurrit; atque discrimen, quod apud Septuaginta animadvertitur, corruptionem hujus textus apertissime arguit. Legendum ergo maluerim, litterulâ in textu transpositâ: *In Dan fontem;* unus erat è fontibus Jordanis prope Dan.

VERS. 7. — TRANSIERUNT PROPE MOENIA TYRI. Veteris scilicet Tyri, in continenti positæ remotæque à novâ Tyro, conditâ in insulâ, stadiis circiter triginta, id est, plenâ integrâque leucâ, paulò amplius, vel 4,000 passibus circiter. Hebræus: *Venerunt ad munitionem Tyri.*

(Calmét.)

(2) *Joab et les principaux officiers, ayant parcouru toute la terre d'Israël, se rendirent à Jérusalem.* Le livre des Paralipomènes ajoute ces mots: *Joab ne fit point le dénombrement de Lévi ni de Benjamin, parce qu'il n'obéissait qu'à regret le commandement du roi. Cet ordre, que David avait donné, déplut à Dieu, et il fut cause de la plaie dont il frappa Israël.* Ces dernières paroles sont conformes aux premières de ce chapitre, où il est dit: *La colère du Seigneur s'alluma encore contre Israël, et de là vint que, pour le punir, il permit que David donna ordre que l'on fit le dénombrement de tout le peuple.* Saint Grégoire Pape fait sur cet endroit une réflexion très-importante. « Dieu, dit-il, qui tient entre ses mains les cœurs de ceux qui



nodus, quem dissolvamus necessarium est. Nam hic lustrata dicitur universa terra, sed in capite sæpius citato ex Paralip. v. 6, duæ tribus dicuntur omissæ, nempe Levi et Benjamin. Hic nodus, qui explicatu non videtur facilis, sic videtur expediri posse. Lustraverunt quidem principes illi cum Joab universam terram, non tamen universam numerarunt, quia opus illud judicabant inutile atque ideò illud exquebantur invitum. Neque id obscure indicat textus ipse in Paralipomenon, ubi illæ duæ tribus non negantur fuisse lustratæ, sed illorum negatur collectus esse numerus. Nam Levi, inquit, et Benjamin non numeravit, eò quòd Joab invitum exequeretur regis imperium.

Sed quæres, cur invitum, aut cur tunc à numerandis duabus illis tribubus abstinuit? Respondeo primum id quod modò dixi, quia fructus sperabatur nullus ex eo labore, atque ideò ex illo, quàm potuit occisimè, se expediit. Deinde alia adducitur causa lib. 1 Paral. cap. 27, v. 24: *Joab filius Sarviæ cæperat numerare, nec complevit, quia super hoc ira irruerat in Israel.* Incertum est, et obscure valdè, quænam fuerit hæc ira Dei, quæ Joab à numerando populo deterruit. Quà in re nobis omninò divinandum est. Fieri potuit, ut eorum aliqui, qui relati sunt in censum, qui decretum à lege semisiclium solvere noluerunt, subitâ fuerint morte correpti, aut plagâ aliquâ ignominiosè percussi; unde intelligere potuit Joab censum illum Deo non probari. Et hoc videtur mihi maximè probabile, imò, nisi meipsum fallo, omninò certum, quia hic locus non obscure docet. Tum quia lib. 1 Paralip. cap. 21, v. 7,

«gouvernent et dans l'Eglise et dans le monde, les dispose souvent selon le mérite de ceux qui leur obéissent. Ainsi il permet quelquefois qu'un pasteur, d'ailleurs vertueux, tombe dans une faute, pour punir ainsi ceux qui sont sous sa charge, et qui l'ont irrité par le dérèglement de leur vie. Car il y a une liaison très-étroite entre ceux qui conduisent et ceux qui sont conduits, et selon le mérite des peuples, Dieu permet qu'il arrive souvent de grands changements dans la disposition de ceux qui gouvernent.» C'est pourquoi, encore que ceux qui sont en autorité soient responsables de leurs péchés, qui sont souvent d'autant plus grands devant Dieu qu'ils causent un plus grand scandale, néanmoins ceux qui leur sont soumis doivent trembler, lorsqu'ils les voient ainsi s'égarer, en considérant que c'est peut-être pour la punition de leurs fautes que Dieu permet qu'il ne sorte que la fumée du mauvais exemple de ceux qui devaient répandre sur eux la lumière de la vérité et la bonne odeur d'une sainte vie. (Sacy.)

ante diram illam lueam, quam Dominus immerat, quamque ex tribus plagis oblatis à Propheta, illam optaverat David, percussus dicitur Israel; ex quo cœpit respicere David, et dolere de numerati populi peccato. *Displicuit autem Deo, quod jussum erat, et percussit Israel, dixitque David ad Deum: Peccavi;* et hoc de semisicliis à populo non solutis probat Abulensis in cap. 30 Exod. q. 9. Aut certè quod Deus aliquando fecit, pavorem iniecit animo Joab, à quo deterritus inchoatum opus persequi neque ausus est, neque potuit. Placeret quod visum est Dionysio, hanc iram esse plagam illam, quâ Dominus, immissâ peste, tot Israelitarum myriadas extinxit; si enim consecuta non esset illa dira lues, jubente atque cogente rege, rediret Joab, licet invitum, ad interruptum opus, et duas illas numeraret tribus, quas in censum referre aut noluit, aut etiamsi vellet, non est ausus. Placeret, inquam, hæc Dionysii sententia, nisi viderem ante hanc plagam jam Davidi suum displicuisse consilium, et agnovisse erratum, et veniam illius à Deo petisse, ut constat ex hoc ipso capite à versu 10. Cùm autem David suum ipse damnaret factum, non juberet Joab ut censum imperfectum absolveret, sed potius quod factum esset, mallet infectum. Propter quod magis utramlibet explicationem probo earum quas superius adduxi, et illam maximè quam primo loco posui, quæ mihi videtur omninò vera.

VERS. 9.— DEDIT ERGO JOAB NUMERUM DESCRIPTIONIS POPULI REGI, ET INVENTA SUNT DE ISRAEL OCTOGINTA MILLIA VIROURUM FORTIUM, QUI EDUCERENT GLADIUM; ET DE JUDA QUINGENTA MILLIA PUGNATORUM. Alius hic occurrit nodus in illorum numero, qui descripti sunt; longè enim major est numerus in capite 21, vers. 5 Paralipomenon: *Deditque Davidi (Joab) numerum eorum quos circumierat, et inventus est omnis numerus Israel, mille millia, et centum millia virorum educentium gladium; de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.* Vide quantum inter utrumque numerum intersit. Varii hæc loca et hos numeros variè componunt. Hieronymus in Tradit. Hebr. ad hunc locum, ait numeratos esse quidem à Joab eos qui in Paralipomenon libro referuntur, non tamen illorum summam ostensam esse regi, sed illam tantum, quæ in Samuelis libro reperitur. Hieronymum alii plures sequuntur, et in his Lyra et Historia scholastica, Abulensis quæst. 14, ubi dicit inventos quidem esse illos de quibus lib. 1 Paral., non tamen omnes

in librum esse relatos, sed illos tantum, de quibus hoc loco. Cajetanus in cap. 21 Paralip. facillè dicit utramque verificari litteram. *Nam quod alter, inquit, tacet, alter supplet, et qui majorem numerum ponit, minorem includit: et qui minorem scribit, non negat majorem.* Diversa autem narratio numeri nata fuit ex eo quòd bis relatio numeri facta fortè fuit, et à diversis scribis. Ego ab his alias etiam explicationes tentabo, non quòd magis probem, sed quia in re obscurâ et ab aliis variè tentatâ, neque tamen prorsus expeditâ, hoc fieri et solet, et meo judicio debet.

Et primum non displicet, quod plerique sentiunt, alium ex universo Israele collectum esse numerum, alium à Joab ostensum esse regi. Cur id factum fuerit, non omninò placet, quod quidam dicunt, eo consilio à Joab plurimos ex verâ summâ esse detractos, ne ex tantâ multitudine David spiritus sibi superbos assumeret. Neque enim Joab usque adeò sanctitatem coluerat, ut de aliorum sanctitate, morumque modestiâ admodum laboraret. Illa autem præsentis rerum articulo magis videtur attemperata ratio, quæ non tam deterret atque deprimit regis animos, quàm confirmat et recreat. Percusserat David animum suum (sic explicio illud, *percussit*, versiculo 10, per plusquam perfectum), cùm audiisset in illo censu aliquos fuisse aut morte sublatis aut fœdè percussos, dixeratque ad Dominum animo sollicito ac tristi: *Peccavi*, quia videlicet populum numerari voluit. Ut ergo Joab sollicitum ac pavidum confirmaret animum, quasi inchoatus tantum esset, non absolutus census, summam proposuit exiguam, cùm tamen immensam propè collegisset. Hoc in illâ cogitatione puto minùs difficile.

Hæc mihi præterea occurrebat tam impediti nodi non inepta solutio, quam expendent alii. Non solum Joab datum est hoc negotium numerandi populi, sed etiam aliis populi principibus, ut constat supra vers. 4. Hos autem ex variis tribubus varias collegisse summam verisimile est; quemlibet, opinor, ex suâ tribu, aut, quod verius puto, ex tribubus sibi in eam curam designatis. His autem omnibus quasi in eo ordine princeps præerat Joab, qui sic aliis diversas populi provincias describendas commisit, ut tamen sibi cum aliis aliquas tribus voluerit esse communes, tribum videlicet Juda, et eas quæ huic erant maximè vicinæ, puta tribum Benjamin, Ephraim et Simeon, quas sic lustravit, numeravitque Joab, ut ta-

men alii etiam è sociorum numero eandem sibi curam assumpserint. Quod ideò sibi magis faciendum censuerunt, quòd ad illud negotium videbant Joab invitum accedere, remque tractari animo prorsus inertem et molli manu. Cùm ergo illi rem agerent sibi à rege commissam diligentius, multò majorem invenerunt numerum, quàm esset initus à Joab.

Ex hæc cogitatione duo efficio, et duos esse descriptos census, ut putabat Cajetanus, alterum à Joab, quem nunc habemus in hoc libro Regum; alterum ab aliis principibus, qui gravatè minùs, et magis accuratè summam inierunt. Alterum in censu Juda multò plures esse numeratos à Joab, quàm ab aliis principibus, cùm hic quingenta millia pugnatorum numeret de Judâ, alii autem quadringenta septuaginta millia. cùm tamen ex aliis tribubus octoginta tantum virorum millia in censum retulerit, et alii mille millia, et centum millia. Cujus ea videtur esse ratio, quia Joab Bethlehemites erat de tribu Juda, atque ideò ut familiam suam aliis in eâ numeratione præferret, contribulium suorum auxit numerum, aliorum imminuit. Alii verò, qui eodem orandi tribus suas studio tenebantur, aliquid detraxerunt de Judæ censu, et ad suarum familiarum summam magnum suorum civium numerum addiderunt. Sic videntur conciliari posse, quæ minùs aptè componi posse videbantur.

Aliter potest hic nodus extricari, si dicas numeratos esse tam à Joab, quàm ab aliis eos qui essent supra viginti annos, qui complere potuerunt illam summam, quam habemus in libro Paralipomenon, ubi mille millia et centum millia illorum virorum esse dicuntur, qui gladium educerent, id est, qui ætatem haberent ad belli pondus et rei militaris usum idoneam. At cùm in hæc ætate multi soleant esse imbecilli et languidi, non minùs quàm teneri adhuc pueri, aut exhausti senes; ex eo numero, qui fortes essent et strenui, tantum esse illos quos in minorem numerum coegit Joab et in hoc Regum extremo capite recenset. *Inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium.*

Illud ad extremum addo, antequàm emergam ex hoc populi censu, usque adeò hoc factum suo auctori Davidi displicuisse, ut in fastos referre noluerit, sicut alia ejusdem generis quamplurima solent. Id habemus ex libro 1 Paral. cap. 27, v. 24: *Joab filius Sarviæ cæperat numerare, nec complevit, quia super hoc*



*ira irruerat in Israel: et idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.* Diximus in prolegomenis solere reges tam Hebræorum, quam aliarum gentium, in annalibus, seu fastis, qui verba dierum, aut ephemerides nominantur, rerum gestarum conservare memoriam, earum maximè quæ gloriosum aliquid continent, et ex quibus principes apud posteros immortales esse student, ex quibus, ut supra diximus proleg. 1, texuntur historiæ. Si hic populi census legitime fieret et sanctè, jure optimo posset in fastos referri; sed quia in eo peccatum est, magisque ad regis ignominiam, quam ad gloriam spectat, noluit David illius ad posteros transmitti rationem, quam mallet, si posset, ex illorum memoriâ omninò delere. Quod autem David in sui seculi fastis extare noluit, id non sine divinâ providentiâ à sacro historico inter sacra atque canonica monumenta relatum est, sicut etiam aliud Davidis peccatum, quod in Uriam admisit, cum illius violavit thalamum, et per fraudulentam injuriam vitam eripuit.

Quomodo David, cum tam graviter peccaverit numerato populo, dicatur tamen lib. 3 Reg. cap. 15, v. 5, in solo sermone Uriæ, id est, in causâ Uriæ, peccâvisse, ostendimus supra, lib. 1, cap. 25, ad finem.

VERS. 10. — PERCUSSIT AUTEM COR DAVID EUM, POSTQUAM NUMERATUS EST POPULUS. Illud, *percussit*, per plusquam perfectum exponebamus, quia antequam delatus esset descripti populi census, jam nôrat David ex plagâ, quâ Deus populum affecerat, in eo consilio intervenisse culpam, ut putabamus supra num. 22, ex capite 21, libro 1 Paralipomenon vers. 7, et ex capite 27, vers. 24. A suo verò corde percussum esse Davidem, quod item accidit libro 1, capite 24, vers. 6, cum partem chlamydis Saülis in speluncâ præcidit, nihil est aliud, quam consciùm peccati animum scrupulorum aculeis esse compunctum. Quare instimulante conscientia, et quasi à profundo quodam sopore solutus, orat Deum, quem propter census alieno tempore ac modo peractum, graviter offenderat, ut supplicium, quod jamdudum fuerat à lege decretum, aut si quod aliud in suum caput intorquere vellet, aliò convertat. Iniquitas pro supplicio aliquando sumitur, quo expiari solet. Quod si ita capias hoc loco, ut profectò videtur esse sumenda, orat propheta, quod modò putabamus, nempe ne durum subeat vulnus, quod suo capiti intentum esse videt. Quo etiam sensu eidem à Nathan

prophetâ dictum est capite 12, vers. 15, post violatum alienum torum, et occisum Uriam: *Dominus transtulit peccatum tuum*, id est, supplicium, quod tam grave, foedumque peccatum merebatur. Quod statim explicatur magis, cum dicitur: *Non morieris*; mors namque peccatum erat, id est, peccati pœna.

VERS. 11. — SURREXIT ITAQUE DAVID MANE, ET SERMO DOMINI FACTUS EST AD GAD PROPHE-TAM ET VIDENTEM DAVID. Eam noctem videtur rex insomnem habuisse, plenam perturbatio-nis et metûs, quibus exagitabat regium ani-mum numerati populi, et supplicii jamjam impendentis acerba cogitatio. Eodem autem temporis articulo excitavit quoque Dominus spiritum Gad propheta, quo David sic uteba-tur familiariter ut propheta, aut videns voca-retur Davidis; et eidem præscribit, quid Da-vidi nuntiatum esse velit.

VERS. 12. — TRIUM TIBI DATUR OPTIO, ELIGE UNUM, QUOD VOLUERIS EX HIS. Sanè verum est, quod in seipso aliquoties expertus est David, quod capite 3 cecinit Habacuc: *Cùm iratus fueris, misericordiae recordaberis*, in ipso æstuante ad vindictam animo locum esse mise-ricordiae. Posset Deus non solum quo vellet ex tribus, sed etiam quo vellet ex millibus supplicio Davidis populique peccatum expiare, sed quâ est animi lenitate, optionem offert regi, ut ex tribus, quod mitius esse putet, aut quod horreat minùs, ex omnibus eligat. Quem-admodum benigni est et amantis medici, quando recusare non potest infirmus medici-næ acerbiteriam, ut optionem det ægroto, pro-positis poculis amaris inæqualiter, ut illud eligat, ex quo minùs capturus est molestiæ. Sanè in ægrotum non est hostiliter affectus, qui ita diluit ac temperat, quod in medicina exhorrescit infirmus.

VERS. 13. — AUT SEPTEM ANNIS VENIET TIBI FAMES IN TERRA TUA, AUT TRIBUS MENSIBUS FUGIES ADVERSARIOS TUOS, ET ILLI TE PERSEQUENTUR; AUT CERTE TRIBUS DIEBUS ERIT PESTILENTIA IN TERRA TUA (1). Quia non rex solum, sed etiam

(1) Gad dit à David: *Où votre pays sera affligé de la famine pendant sept ans, ou vous fuirez durant trois mois devant vos ennemis, ou la peste sera dans vos états pendant trois jours.* Il ne paraît point dans l'Écriture que Dieu ait accoutumé de laisser ainsi le choix du châ-timent à ceux qu'il châtie. Car, comme c'est au médecin à déterminer les remèdes qui nous peuvent rendre la santé, et qu'un malade n'en pourrait pas faire le choix, ainsi c'est à Dieu à nous envoyer lui-même ce qui peut être le plus propre pour guérir les plaies de notre

populus in hâc numeratione peccaverat, talè Davidi proponitur supplicii genus, quod nequè ipse, neque populus declinare possit. Si terra sitiens nullos producat fructus, si fames ingruat, omnium ordinum homines urget et extenuat; si bellum ingruat, et regem jactatum malè fugat atque persequitur, maximè si ab externo fuerit hoste conflatum, necesse est ut subjectum populum eadem fuga dissipet, eadem vexet agitetque calamitas. Jam verò aer qui spirando dicitur, pestilenter infectus, ut omnibus est communis, sic etiam omnibus nocet æqualiter. Quare hoc malorum genere id Dominus egissè videtur, ut latè se hoc malum ad omnes hominum ordines extendat.

Hic tamen hærendum nobis paulisper est, et componenda quæ in lib. 1 Paralipomenon non satis in hujus capituli sententiâ convenire existimari possent. In hoc capite septem annorum fames Davidi proponitur, in lib. Paralip. trium, sicut hoc etiam loco legunt Septuaginta. Quæ diversitas ex duarum vocum similitudine provenire potuit, ita ut in altero loco è duabus vocibus altera sit corrupta. Quod ego non facilè admiserim. Quidam hæc loca hæc ratione conciliant, ita ut septem annos duratura sit fames, sed in eorum tribus ita sit angusta futura, ut aliorum quatuor fames censeri possit abundantia. Alii principio annorum septem indictam esse famem, sed deinde illam ad triennii spatium fuisse contractam. Quemadmodum Gen. 18, cum dixisset ignoscendum esse Sodomis, si ibi quinquaginta

âme. Aussi nous voyons que Dieu jusqu'à cette heure n'en a point usé en cette manière à l'égard de David même. Il lui prèdit d'abord les renversements effroyables qui devaient arriver dans sa maison, sans lui laisser le choix de ces accidens funestes qui ont succédé l'un à l'autre dans la suite de cette histoire. Dieu en use ici autrement, pour nous faire voir le fond du cœur de David, et pour nous montrer que si sa fragilité paraît dans sa faute, son humilité et sa charité éclatent dans son repentir. Le prophète lui propose le choix de la famine, de la guerre ou de la peste. Ce prince si sage considère qu'il n'y a d'ordinaire que le peuple qui souffre dans la famine; que les princes sont moins exposés que les autres pendant la guerre; mais que la peste ne respecte personne, principalement lorsqu'elle n'arrive pas d'une cause naturelle, mais qu'elle est, comme celle-ci, l'effet de la colère de Dieu, qui envoie un ange qui frappe de mort soixante-et-dix mille personnes en un même jour. Et ainsi il choisit la peste, étant persuadé qu'il serait aussi exposé que tous les autres à un si grand mal, mais dans l'espérance que la bonté de Dieu en adoucirait la rigueur, comme il le témoigne par les paroles du verset suivant. (Sacy.)

invenirentur justî, postea per quosdam quasi gradus descendens, ad decem usque justorum illorum numerum contraxit. Et Ezech. cap. 4, cum jussisset Dominus prophetæ, ut pane vesceretur hordeaceo, quem priùs humano operuisset stercore, illeque ad gravem illum cibum nausearet, postea Deus ad prophetæ stomachum ita temperavit mandatum illud durum, ut pro humano stercore fumum concederet bovinum. Sic etiam cum Deus septem principio minatus esset annorum famem, aut quia David ad diuturnam illam famem exhorrui, aut quia mitiorem à Domino in eo genere precatus est famem, ad tres tantum annos coarctavit. Cum autem libri Paralipomenon supplementum quoddam sint eorum quæ in libris Regum videbantur ommissa, et in his scriptor sacer septem tantum annorum meminisset, qui libros attexuit Paralipomenon, trium annorum meminit, ad quos posterior illa summa contracta est.

Ubi in hoc capite Vulgatus noster legit: *Aut certe tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ*, in lib. Paralip. scribitur eodem quidem sensu, diverso tamen dicendi genere: *Aut tribus diebus gladium Domini, et pestilentiam versari in terrâ, et angelum Domini interficere in unversis finibus Israel.* Ubi observa pestilentiam, id est, corruptum aerem, aut occultam aliam qualitatem noxiam, appellari Domini gladium, et illud dici ab angelo vibrari, quia nulla alia in terris mali causa cognoscitur. Cum autem dicitur tribus diebus gladium Domini et pestilentiam versari, illud, *et*, expositiva particula est, et idem valet quòd, *id est*; quasi dicas, *gladium, id est, pestem versari.* Cum autem omnia bellorum, aut suppliciorum instrumenta, à quocumque hominum, belluarum aut temporum qualitate ac genere comparata, Dei sint instrumenta atque arma; illa tamen præcipuè arma dicuntur Dei, quorum in terris nulla causa etiam ab acutissimis ingenis deprehenditur. Qualis est pestis, illa præcipuè, quæ sine ullâ novâ elementorum alteratione provenit, qualis fuit hæc, quæ subitâ plagâ multitudinem hominum ingentem prostravit. Quæ verò ejusmodi sunt, ab angelo Dei facta esse dicuntur, aut quia reverà per illos Deus in hunc modum res humanas statuit aut dissipat, ut fecit aliquandiu postea contra Sennacherib, et multò antea in Sodomorum vastitate, aut quia quæ nullam aspectabilem causam agnoscunt, illa à spiritali atque invisibili profecta existimantur. Sanè hic stragem tantam